D. Thom.

crum, & quadrupedum, & ſerpentium. Quapropter D. Thom. 1. p. q. 72. ad 2. ait. *Per iumenta vel pecora intelliguntur animalia domeſtica, quæ homini ſerviunt qualitercunque. Per beſtias autem, intelliguntur animalia ſæva, ut urſi & leones. Per reptilia verò, animalia, quæ vel non habent pedes, quibus eleventur à terra, ut ſerpentes: vel habent breves, quibus parùm elevantur, ut lacertæ, & formicæ. Sed quia ſunt quædam animalia, quæ ſub nullo horum comprehenduntur, ut cervi, & caprei; ut etiam iſta comprehenderentur, addidit quadrupedia.* Unde Hilarius ubi ſupr. v. 108.

Hilar.

Diverſa exoritur variarum forma ferarum,
Quadrupedes animæ, necnon repentia terris.

Et Marius Victor *lib.* 1. v. 137.

Mar. Vict.

——— *Iuſsit Deus edere terram*
Omne animal ratio vegetat quod ſola movendi, &c.

Quid reptile terræ?

32 *Omnique reptili, quod movetur in terra.* Additur *in terra*, quia eſt reptile, quod movetur in aqua. Ideo v. 20. dicitur: *Producant aquæ reptile animæ viventis.* Ideſt piſces, de quo ſubinde. Nec inferas ex teſtimonio, omnes piſces reptare, quandoquidem vituli marini, & phocæ habent pedes, quibus gradiuntur in terra: igitur ut præcluderetur obiectio, v. 21. Textus infit: *Creavit Deus cete grandia, & omnem animam viventem, atque motabilem, quam produxerant aquæ in ſpecies ſuas.*

Geneſ. 8. 17. 19.

Reptile etenim dicitur quicquid ſerpit, vel tardigradum eſt, aut parum pedibus elevatur; quorum motus in terreſtribus geminatione exprimitur, ut *Geneſ.* 8. v. 17. *Reptilibus quæ reptant:* & v. 19. *Reptilia, quæ reptant ſuper terram.* Et propter diſcrimen piſcium, qui (ut vidimus) etiam vocantur *reptile*, quamvis non ſint reptile reptans, ſed reptile natans; & propter quædam reptilia adhuc in terra, quæ ſunt *reptilia quadrupedia, ut lacertæ, & formicæ*, uti ait D. Th. ubi dudùm, & non reptilia reptantia, vel repentia.

Serpens ante hominis peccatum etiam reptabat.

Aliquibus placuit geminationem huiuſmodi reptilibus apponi, ut notarentur in reptilibus ſerpentes pennati, vel dracones, quod creperum. Proin in mundi exordio altis pedibus extitiſſe ſerpentem, quippe illud *cap.* 3. v. 14. *Super pectus tuum gradieris*, in pœnam inflictum, aſſerunt. Haud nobis placet ratiocinium: ſiquidem ſerpere adeo iuxtà ipſius naturam, ſicut comedere terram. Additur enim reptare in reptilibus terræ, & propter dicta, & ut in cuncta hominis clareſcat iuriſdictio. Animalia, & animantia locomotionibus diſtinguuntur. Propter quod ut in omnia & in omnibus Protoplaſti exprimatur principatus; dicitur: *Faciamus hominem, ut præſit piſcibus maris*, natantibus: *Et volatilibus cœli*, volucribus: *Et beſtijs terræ*, ungulis incedentibus: *Omnique reptili*, quomodocunque reptanti. *Serpens*, vel *reptile* nomen generale eſt: in ſpecie namque dicimus ſerpentes ignitos, regulos, viperas, dipſades, hydros, amphisbænas, ceraſtas, & reliqua. Colubrum ſignificamus, nihil addentes. Unde vel iuxtà proprietatem illorum, vel iuxtà vernaculæ linguæ uſum, nomina reptilibus imponuntur. *Serpens* dicitur à ſerpendo; coluber, quia lubricè labitur, vel dilabitur, aut umbras excolit: anguis denique, aut hydrus, quia in aqua degit. Ita Iſidorus in *Etymolog.* Alapide, Oleaſter Genebrardus, & Plinius *lib.* 32. *cap.* 5.

Serpens nomen generale eſt. Quid? *Coluber? Anguis?* Iſidorus & alij.

Varietas lectionum.

33 Haud diſtinctio niſi in numeris Verſionibus ineſt. *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram.* Chald. *Ad imaginem noſtram, ſicut ſimilitudo noſtra.* Caietan. *Ad imaginem noſtri, ſicut ſimilitudinem noſtri.* Ar. Mont. *In imagine noſtra, ſecundùm ſimilitudinem noſtram.* Oleaſter *In umbra noſtra.* Perſ. *Sicut forma noſtra. Et præſit.* Septuag. *Et habeat principatum.* Chald. *Et dominatur.* Caietan. *Et ſubiugabunt.* Caten. Græc. *Imperent.* Ita Chryſoſt. Procop. & Pagninus. *Piſcibus maris, & volatibus cœli, & beſtijs.* Septuag. *Piſcium maris, & volatilium cœli, & pecorum & omnis terræ.* Chald. *In piſces maris, & in volatilia cœlorum, & in iumenta, & in omnem terram.* Caietan. *In piſce maris, & in volatili cœlorum, & in iumento. Omnique reptili quod movetur.* Septuag. *Et omnium reptilium repentium.* Chald. *Et in omni reptili, quod reptat ſuper terram.* Denique Caietan. *Et in omni reptili reptanti ſuper terram.* Cominùs ergo accedamus ad inſtructionem morum.

ADINATON EXEGETICUM.

Epilogus excurſ.

1 F*aciamus.* Nec facilius verbum, nec difficilius.

2 *Hominem*: ingratus prænoſcitur, ſed quia ingratus.

3 *Ad imaginem, ut præſit.* Turpiter regimen, ni regat imago.

4 *Ut præſit.* Quia non præfuit, concidit.

5 *Hominem, ut præſit.* Ratio præſupponitur, ſed non exprimitur.

6 *Hominem, ut præſit.* Dignitas quippe ſupereminet homine.

Piſci-

7 *Piſcibus maris*, ne confundat miniſteria.

8 *Volatilibus cœli*, ut omnibus omnia.

9 *Et beſtijs.* Etiam in patria? Lucidiſsimum imperium, eſtò beſtiarum.

10 *Et beſtijs.* Nec quia propiores Principi, liberantur ab onere.

11 *Omnique reptili.* Quamvis venena ſubdita, venena.

12 *Quod movetur.* Præſit homo, ne moveatur.

DIDASCALIA PRIMA.

De nihilo creata creatura levis eſt.

Rupert. *Homines ingrati gratis.* Bernard

Ibid.

1 DE homine, & Angelo meritò dixit Rupertus de *Victor. Verb. Dei, lib.* 2. *cap.* 12. Eadem mole beneficij ingratus uterque. Qui oblitus eſt, ingratiſsimus omnium. *Gratis ingrati ſunt*, dicit Bernardus *Serm.* 14. in *Pſalm.* 90. Horologij inſtar leviores pondere gratiarum extiterunt. *Neuter tanti honoris pondus* (infit Abbas Tuicienſis) *humiliter ferre potuit.* Dominium humilibus onus leve, ſuperciliofis verò principatus pondus, & pondus leviſsimè grave. Sed unde iſte homini faſtus? E pulvere quidem erectus, & ex pulvere mirificè conſtitutus. Et tumet incunabulis, natus in herbis? Quid Angelus? Corruit, & irrevocabili exitu, ad tantum ac talem honorem ſublimatus ex nihilo. Uterque levis: ſed quare? Non eſt ex nihilo homo, ſed ex limo fit, homo è terra, ne allideretur opus meditato intentum; quia evanuit primum è nihilo factum. *Faciamus hominem* de terra. Sententia facilis, at in opere difficillima conſtantia. Utrobique periculum. Neuter poterit ferre humiliter principatum: igitur in hominibus idem eſt erigi è pulvere, ac ex nihilo condi.

Electio plerũque periculoſa. Geneſ. 1. 26.

Quæ cauſa?

Cauſa patet. Facere præſupponit ſubiectum, creatio nihilum. Quale etenim nullo præſuppoſito in dignitatis faſtigio elucebit conſilium, dum deſipit iſtiuſmodi præſuppoſitum ſubiectum? Proceres ſuperbia elati, vel potiùs ſi ex fuligine educti, ut fumos vendãt, & potentiam inſperatam inflent, quoſvis, qualeſcumque quomodolibet eveunt ad culminis dignitatem, intendentes creationem. O magni! Ludrica phantaſiæ cogitatio, igitur homini repugnat opus ex nihilo. Dicam, *Dij eſtis*? Opus loquatur: ex nihilo celſitudini opus erigitur. Quid? Homo promittitur ſpectandus, & deridetur turpis cercopitechus. Ecce homo. Ergo ſtatuam cum artificio materiam ſubminiſtras; & opus perdis, quia ſubminiſtras materiam. Homo ex aliquo præſuppoſito eſt. Ex nihilo adhuc politicè nihil fit, etenim ex nihilo non fit homo. *Faciamus.* Nota ſplendet auctoritatis. *Faciamus.* Vendicati privilegium honoris. *Faciamus hominem*, dicit ſuperbus auctoratus. Verùm quomodò facies? Faciens? Potens? De hoc nobis

Faciamus facile verbum.

fusè ſermo *Tom.* 4. *Tautolog.* 2. & *Tom.* 5. *Tautolog.* 1. ad illud 1. *Reg.* cap. 25. v. 28. & cap. 26. v. 25. *Faciens facies, potens poteris.* Creando facies? Implicas in terminis. *Faciamus.* Facilis prolatio, ſed difficillima arrogantiæ conſecutio, quandoquidem ex nihilo creatura levis. Intende igitur meditanter in opus mirificum individuæ Trinitatis.

Geneſ. 1. 26.

Chryſ.

2 *In principio creavit Deus cœlum & terram*: poſt verò terræ, cœlorumque ornamentum, ac venuſtatem rerum omnium utriuſque in orbis ambitu contentarum. Ipſe dixit, & facta ſunt. Ad hominem præſidem futurum (quaſi conſulendo, ut ex Ruperto in Expoſitione Literæ vidimus) accedens, dixit: *Faciamus.* Ad quem ergo huiuſmodi ſermo? Licet operationes Trinitatis ad extra indiſcretæ, in una ſubſtantia ſunt perſonæ diſtinctæ. Ad quam igitur perſonam dirigitur propoſitum? *Ad filium* (ait Chryſoſt. *Hom.* 8. in *Geneſ.*) *admirabilem conſiliarium.* Ad filium ſpectat vox paterna, priuſquàm hominis confletur ſtatua? Utique. At quare omne iudicium dedit filio, cum Spiritus Sanctus etiam conveniat divino propoſito? Canon nẹ Principibus patet electionis, dum aſſumitur homo in faſtigium dignitatis. Supprimitur Tertia Divina Perſona, cui amor (affectus cordis) attribuitur à Theologis. Exprimitur ſecunda, quæ ratio Patris vocitatur à Patribus: huicque conſilio Filius tantummodò effingitur conſiliarius; ut in hominis opere omnis à corde eliminetur affectus.

Exulet affectus in electionibus.

Aſsideat ratio.

Præterea. Si in hominis opificio Spiritum Sanctum Pater conſuleret & non Filium; ad præſidem orbis poteſtas traheretur voluntate, non ratione: amore operis, & nequaquam veritate: ac nullo modo Spiritum Sanctum, ſed Filium Pater convocat conſiliarium; quippe tunc erit admirabile conſilium, dum informatione præſidis efficitur, quod intellectus liberè conſulit, non verò quod voluntas temerè intendit.

Deinde. Noſtro modo expono divinum conſilium, ut exemplum imitandum. Voluntate divina omnia creata: igitur propter voluntatem erant & creata ſunt. *Creavit Deus*, dicitur: in hominis decreto, *Faciamus.* Iã plu-

ra-

Plus eſt hominē præſidē facere, quam mundū conſtruere.

ralitas perſonarum exprimitur, & in totius mundi machina conticetur? Cur ita? *Faciamus hominem, & præſit*, dicitur (ideſt, *ut præſit*, ſicuti videbimus & pro *Ut*: *Tautolog.* 6. in *Expoſition. Lit. num.* 18.) Hominem? Sufficit; conſiliumque Pater adhibet; quaſi plurimi eſſet ad præſidem hominem conſtituendum, quàm ad mundum efformandum.

Geneſ. 1, 10.

Nota poſt ſingula, à Deo creata, divinum iudiciū. *Vidit Deus quod eſſet bonum*, paſsim in Hexaëmero profertur. Placuit opus, & plauditur candido calculo. Hoc articulo rerum, divinitus eligitur, & erigitur homo; ſed non plauditur. Nihil circa eum Auctor operis ſpectabilis loquitur. Si bona ſingula, non bonus propter quem omnia? Bonus herclè, ſed præſes omnium: ſubticeturque meditatò iudicium, & ſepelitur plauſus; quia præſes adhuc cum conſilio conſtitutus, uſquequaque & undecumque timendus. Verùm hoc aliàs: vide modò *Taut.* 3. *Didaſc.* 11. *num.* 7.

Cur non plauditur præſes factus Adam?

3 Aliter alij arbitrantur: ſiquidem tota Trinitas dixit: *Faciamus*. In hominis conſtitutionem Deus Pater, ut luceret opus perfectum, alloquitur Filium, & Spiritum Sanctum. Si in concilijs malignantium attentè obſervaretur auctoritas, haud tot mundi ſæculis electorum prævaleret iniquitas. Potentia Patris, ratio Filij, amor Spiritus Sancti, ut fieret homo, mirificè cohærent in divino conſilio. Conſilium divinum eſt: igitur in humanis, præcipuè dum homo fit; propter affectum cordis, ſeu voluntatem, potentia proterit uſquequaque rationem.

In potentia ratio minimè conculcetur ab affectu.

Geneſ. ubi ſup. Cyrill. Aretin.

Faciamus *difficile verbum*.

Liquet facilitas verbi *Faciamus*: innoteſcat ergo difficultas. *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram*, ſubditur: ideſt *Chriſti*, aiunt Cyrillus *lib.* 1. contr. *Iulian.* & Franciſc. Aretinus hìc. Imago Salvatoris præponitur conſpicienda. Verùm qua conditione? Erit ne imago Salvatoris crucifixi, vel glorioſi, aut transfigurati? Crucifixi dicam: etenim affectum efformandi è luto imaginem præſidum, magnum certamen ſubſequetur paſsionum.

Geneſ. 48. 14.

Filios Ioſeph, præ amoris magnitudine in Rachelem, adoptavit Iacobus; ſed *commutans manus*. Religio celebris! Scire poterat Ephraim perlatus in regimen, præparari dulci blandimine ad crucem. *Commutans manus.* Exoticus ritus! At in nepotum adoptione proprius & opportunus. Filius imago patris eſt: adoptio acceptio perſonæ extraneæ. In opere alieno intenditur imago patris, vi generationis civilis: & Iacobus commutat manus, vendicans ſibi pater alienum opus; quia idem eſt in imaginis fabricam tendere, ac auctorem crucifigi. Haud contemplantur homines glorioſi Promethei pœnam, ſed lucidam cauſam. Perpende apud Senecam in *Medea, Act.* 4. v. 821.

Prælatura crux.

Senec.

Pœna Promethei.

——— *Cœli qui furta luit.*
Viſcere fœto. Dedit & docuit
Condere vires arte.

Vide Platonem in *Protagora*, Heſidium in *Theogon.* ex Vatibus Horatium ubi infrà, Virgilium 3. *Æneid.* Ovid. 6. *Faſtor.* Petron. in *Satyr.* Martial. *Spectacul. Epigram.* 7. pro omnibus, ſiquidem luculentiùs Andr. Alciatum *Emblem.* 102. canentem.

Andr. Alciat.

Caucaſia æternū pendens in rupe Prometheus
Diripitur ſacri præpetis ungue iecur.
Et nollet feciſſe hominem: figuloſque peroſus
Accenſam rapto damnat ab igne facem.
Roduntur varijs prudentum pectora curis,
Qui cœli affectant ſcire, Deumque vices.

Ignis huiuſmodi ambitus, fatuus.

E luto fingitur finxiſſe homines, & homines modò ab hominibus eriguntur è luto; minimè intuentibus aquilam devorantem, & iecora exeſa, ſed ſtatuam eminentem & rutila lumina. Ignis faculę Promethei dicitur, *Ignis fatuus*, & quo Tullus Hoſtilius exuſtus, de quo Livius lib. 1. *ad Urb.* Quid mirum! Nec ignis ſacer liberat à morte. Plus Principum per viſcera ſerpit, quia ſacer. Quid non mortalia pectora cogis *Faciamus*! O curas hominum! Ignis & fatuus eſt. Diſcrimen haud ineſt: ſiquidem formare è luto hominis effigiem, eſt proculdubio exprimere fatuitatem. Propter eiuſcemodi ignem ad ornatum & cultum ſtatuæ deſcenderunt ab aëre macies & morbi, uti ingenioſè canit Horatius *lib.* 1. *Carm. Ode* 3. v. 27.

Tit. Liv

Sacer ignis, ſed ignis.

Horat.

Audax Iapeti genus
Ignem fraude mala gentibus intulit.
Poſt ignem ætherea domo
Subductum, macies & nova febrium
Terris incubuit cohors.

Morbus & nova febris.

Non dicendus eſt nobilis ambitionis appetitus, ſed iurè morbus: nequaquàm examen rationis, ſed intelligentiæ febris. Verùm intende in Vatis acumen. Non febrim, ſed *novam febrim* appellat. Non ſufficiebat hominibus crebrò moleſtia febrium, & incubuit cerebro novū delirium. At quale? Perpende.

Geneſ. 11, 4.

4 *Faciamus nobis civitatem & turrim, cuius culmen pertingat ad cœlum, & celebremus nomen noſtrum antequàm dividamur*, dixerunt filij Adam inſenſati; nec malo proximo prudentiores effecti. *Faciamus.* Quid? *Turrim cuius culmen pertingat ad cœlum.* Et videbitis culmen? Tempus & operam terent? Opus profectò impoſsibile. Impoſsibile? *Faciamus*: quamvis delirio, celebremus nomen noſtrum. *Faciamus* tandem. Ubi deſunt vires, tamen eſt laudanda voluntas. *Faciamus*; ſiquidem celebrabimur auſis. *Faciamus.* Quoad putuerimus conſtruatur fabrica; eſtò à ſenſatis vocitetur ſtultitia. *Faciamus.* Pœna coràm oculis, ac in proximo eſt. *Antequàm dividamur*, inquiunt. Non deſiſtunt, & fatuitatem agnoſcunt. *Aut efficiam, aut deficiam* dicunt cum Anſere, de quo Silveſter à Petra-Sancta *lib.* 1. *Symbol. Heroic.* Cogitatio prorsùm ſincipitis læſi. Parum (reſpondetur) intereſt: *Faciamus* etiam. Dummodò in comitijs humani generis noſtra celebretur memoria, nihil momenti quòd arguatur inſania. Furorem dicent cordati: ſed multi ſtultorum plaudent. *Faciamus.* Si ſtultitia plauſibilis; quod dixerint dicant. *Faciamus.*

Furor.

Petra Sanct.

Inſania rara.

Obiter nota Hebraiſmum *Faciamus nobis*, quo ſæpe in Scriptura *Faciamus* iungitur *Nobis*, *Vobis*, &c. *Exod.* 32. v. 1. *Iudic.* 18. v. 24. alijſque in locis. Celebratio nominis ſolet eſſe auctoribus electionis lenocinium: ſed (ni fallor) amplius allicit proprium de electionibus commodum. Liquet: ſiquidem ſi non facerent ſibi, minimè facerent. *Faciamus* dicunt, *nobis*: non abſolutè *Faciamus*: quippequam in operibus, quæ pervicaciter potentes faciunt; non Reipublicæ ſtudent, ſed ſibi conſulunt. Quid ſi in electionibus (ride) omnia non cadunt ad voluptatem, & voluntatem, ſed electi decreta deviant à voto? Pereunt ſuſpendio.

Cauſa inſaniæ.

Ad oculum languores patent: & ſolummodò quia ſplendent, allicitur cor angoribus. Perilli inſtar crudelitate iuſta torrentur in Tauro. Vid. Plinium *lib.* 34. *Hiſt. Natur. cap.* 8. Unde Ovidius *Triſt. lib.* 3. *Eleg.* 11.

Pœna Perilli.

Ovid.

Pro quibus inventis ut munus munere penſes,
Exhibuit geminos ore gemente ſonos.

Infelix imbuit auctor opus, nec terret modò ab igne mugitus. Ad propriam familiam Iacobus aſcivit nepotes: at in electione manus decuſſatas meditanter invenies. Agnovit pondus operis amore ſuſcepti; & licet amore, ſignat ingenioſè in exhibita decuſsi. Validum utique ſignum, & pondus facti vigilanter expreſſum. Officio enim effingendi facturas, vel leviter incumbere, crux aſsiduè erit moleſtiſsima auctori. Ni dicas, ſuſcipiendis nepotibus præmuniri ſigno crucis, quaſi qui ingreditur in arenam tentationis. Præſervatrice medicina utitur: in opere proculdubio lethifer morbus timetur.

Crucifixio.

5 Hic nimirum exitus verbi *Faciamus* optati: ideſt in ſimilitudinem hominis crucifixi. Quid enim ſi conferatur Chriſto glorioſo, uti ſplenduit Thaboris in vertice? Opprimetur profectò maieſtate quiſquis fuerit ſcrutator ac æmulator gloriæ. *Dicebant exceſſum eius* Elias & Moyſes. At quemnam exceſſum? De hominis reparatione conſilium, in cruce ſummis doloribus conſummandum: & ut deſiſtat à vanis cogitationibus glorioſus homo; exprimitur huiuſmodi in reparatione ſermo: quippe ſuſceptio reparationis lapſi & perditi hominis, auctorem compulit in ſuſceptionem crucis.

Luc. 9. 31.

Mors.

De homine reparando ſermo conficitur, & exceſſus hominis in colloquio miſcetur. Homo Chriſti imago rationalis eſt. Auctor in Thabore rutilavit uti Sol. Mors ergo in gloria videtur importuna narratio; ſiquidem modò glorificatur in ſolio: & de cruce conſultò agitur à ſynedris, dum micat plus ſolito excellentia maieſtatis; quoniam opus eſt proculdubio factoris morte, ut homo lapſus erigatur è pulvere.

Erectio hominis lapſi difficultas.

Quantumvis pro gloria ſtudeat Chriſtus (verè philanthropus) generis depulſi ſublimitati, ſiquidem adhuc in gloria memor eſt naturæ miſellæ; vel colloquium de reſtauratione, in vitæ auctorem tetendit inſidias, ut clareat propoſiti *Faciamus* inconſulta difficultas: etenim vel in gloria ſignatur tormentum crucis, propoſitum utile erectionis imaginis. In creatione potentiam præſeferebat, in erectione hominis omnipotentiam manifeſtabat: & additur Auctori crux, etiam propudioſa mors; tanquam maioris momenti quòd imaginem lapſam erigeret, quam quòd crearet. Vide *Tautolog.* 3. *Didaſc.* 9.

Verſ. 33

Perpende ſequentia: *Cùm diſcederent*, infit Evangeliſta, à Chriſto ſapientiſsimi conſiliarij Moyſes & Elias; neſciens Petrus dixit: *Præceptor faciamus.* De exceſſu crucis loquuntur, & *faciamus*, inquit Petrus. Haud propoſitum ſermonis mutavit: ſeriem utique colloquij neſcienter texuit: ſiquidem idem intentum erectio imaginis, ac memorata converſatio crucis. Cogitatio Salvatoris cœlitus plauditur ut gloria; ſed huic gloriæ inſeritur mors, & mors acerba: quippe quoquo latere intolerabilis (adhuc illius humeris) tanta moles.

Ibid.

Eadem eſt converſatio de cruce, ac de imaginis erectione.

6 Exitus acta probant. Propoſiti pondus aſtruxit eventus. Damnatus eſt ad crucem Auctor vitæ, ut vitam hominibus reſtitueret; & Ioannes vigilanter obſervat damnatum in lignum, lignum humeris portaſſe, ut animam mitteret graviſsima morte. Quid enim ſapienti gravius, quàm ligni inſeparabile, & inſuperabile pondus? Intende. E prætorio egreſſus, *Baiulans ſibi crucem exivit.* Baiulans crucem? Extremum malum: ſiquidem ſacris humeris portatur lignum.

Ioann. 19. 17.

Tormenta patefiunt cordi mœrenti, & inter graviora expenditur baiulatio ligni. Cur ergo? Intendebat amor Chriſti elevare ad glo-

gloriæ Thronum tot retrò ſæculis dedecoris ſignum. Charitatis viribus contendebat, lignum adorari, futurum panchreſtum orbi, quod penè à mundi fabrica vel ſcandalum, vel ſtultitia. Decreverat conſtruere illud lignum inſipientis hominis, in cathedram inſignem magiſtri docentis. Eximium planè opus! Cœlo, terræque novum, lignum merè lignum, elevari: quod quidem nactum fautoris & factoris occiſione: ac inter tormenta, gravius à Ioanne ſignatur: quòd lignum ita grave humeris baiularetur.

Moleſtiſſima baiulatio ligni.

Suum lignum ſublimare conabatur, exaltatus in ligno: ut ſuper humerum fieret principatus. Ægrè ac moleſtè ferebatur, ſed ferebatur. Inſiſtit exaltationi, verùm procidit. Non novum. Cedit fortior oneri: ligni pondere pandantur humeri. Perſiſtit adhuc totis viribus, ut rutilet facinus; verùm cæſpitat gravatus & curvus. Quid? Dicant alij. *Baiulans ſuam crucem exivit.* At pietate crudeli, *Simonem angariaverunt, ut tolleret.* Ita *Matth. Marc.* 15. v. 21. & *Luc.* 23. v. 26. *Pietate crudeli* conſultò dixi: etenim quò plus crux levatur à pede, eò magis pondus faſtidioſum capiti. Non ſervit Simon humero uno, ſed levamine moleſto. Suam crucem Auctor baiulavit, & etiam Simonem angariaverunt, ut unà tolleret. Sic Domine? Sic. Ubi propoſitum (Nos, *Empeño*) erga crucem, ſi portas orbem? Haud potuit: tantæ molis erat: & Simon ſuppetias fert pectori valido robore charitatis; quia incurvant humeros Auctoris vel amantis, pondera tantæ molis.

Vel fortitudo oneri cedit.

Matth. 27. 32.

Imponderabile pondus.

Mentis aciem dirige in verbi proprietatem. *Angariaverunt.* Suppetiatur Salvatori Simon in baiulatione ligni, in quo ſalus exprimitur humano generi. Minimè accedit Simon punctus miſerabili aſpectu, neque ad auxilium commovetur corpore penitùs livido. Frangit ſpectaculum corda licèt ferrea, licèt adamantina: & Simon nullo modo libenter, aut ultrò manum admovet, ſed angariatus; quia nemo ad truncum erigendum accedit, niſi compulſus.

Invitè ertur.

Arbores, ſeu ligna rationalia florent homines, igitur vel cæcus videt homines quaſi arbores. Infructifera multa ligna, & telluris inutile pondus: verùm homo quantumlibet truncus, pro libito Principum exhibetur adorandus. Cucumer in cedrum, & cucurbita à Dynaſta commutatur in ulmum. Dulce prorsùm lignum! Dulces clavos, dulcia ferens pondera (ſed pondera ferens) avidè cupit opus levari; ſed miſerè cedit oneri: & in meliorem mentem ut ſe revocet vanidus homo; omnia tormenta memorantur in ligno. Erunt in doloribus electores conformes imagini, ſi pro ligni exaltatione figuntur cruci. Nihil ergo decoris impertit nobilitati facinus, niſi ponderis curæ intolerabile pondus.

Dulce pondus, ſed pondus.

7 Beneficium dare oportet. Ergo & referre gratiam. *Falſum eſt*, inquit Seneca *lib.* 5. *Benefic. cap.* 9. Cur ergo falſum? Quia multoties non eſt, quod apparet beneficium. Obliti operum Domini Filij Iſrael, commixti ſunt inter vana Gentilium, & *ſervierunt ſculptilibus eorum.* Opera manuum hominum adorare, turpiſsimum nefas: nihilominus tamen peſtis huiuſmodi comiter graſſatur in Reſpublicas. Ab hominibus enim ſimulachra pro hominibus eriguntur; ut ipſi potiùs in operibus deformiter adorentur. *Servierunt ſculptilibus eorum.* Civiliter excuſatio proponitur ambitionis & tranſgreſsionis: adorant in altari throni, quod neſciunt. Splendore maieſtatis caligat oculus perſpicacioris rationis. Auctores ipſi ſibi gaudibundi ſomnia fingunt. Adorant quod ſciunt, & affectivè neſciunt: Sciunt truncum, ſciunt lignum. Ecce ſcandalum: turpiter ergo mortalis offendit, dum truncus adoratur, quia prolubium levavit. Fictio Deitatis ipſis nota eſt, & adorant quod fecerunt: ad excelſa evehunt pro libito imaginem cogitationum. Non reſipiunt, ſed deſipiunt voluptaria ſtultitia: ſiquidem in ficto ſimulachro adoratur cogitationis phantaſma. Filij Iſrael ſeducti (ſi ſeductus genius, in adorationem imaginum pronus) profeſsioni Gentium obſequentes, facti ſunt proclivitatis aſſentatores. Indole peſsima irruunt & corruunt in idola. Gratiam artificum aucupantur, dum imagines coluntur: & ut ipſis Gentilibus ſtudioſè exhiberetur obſequium; ſervierunt etiam ſculptilibus eorum. Vide *Tautolog.* 3. *Didaſc.* 6. *num.* 14. *Tautolog.* 6. *Didaſc.* 7. *num.* 9. 10. & *Didaſc.* 13. *à num.* 16.

Senec.

Pſ. 105. 36.

Opus ſit, ut in ipſo artifex adoretur.

Auctori blanditur, à quo opus laudatur.

8 *Servierunt ſculptilibus eorum. Eorum* ait. Ni eorum, pedibus conculcarentur. Adorationi imaginis ambitur ſtatua favoris. Adorantur ſculptilia, ut auctores adorentur. Minor (vel nullus) debetur cultus operi, maior opifici. *Servierunt ſculptilibus eorum.* Hebr. *Doloribus eorum.* Doloribus? Utique. Verùm quare? Currit miſer adoraturus in templum, ut imago ſuccurrat: præcatur, orat, gemit, ſed gemet: nihil opis conſequetur in effigie: & nulla pœna intenſior, dum urget dolor; quàm ulceri promptè ambire medelam, & turpem in throno invenire figuram.

Hebr.

Homines in ſolio ſimulachra.

Opis adoratur, ſed procul opis. Gemitus pectoris ridet effigies. Hæc excelſa tenet? Abſque dubio ſervit ſuo quiſque dolori. Dolor eſt utique, & dolor acerbus, in ope quærere auxilium doloris; & invenire in ſtatua ſpeciem

ciem auxiliatricis. Dolor eſt, proſequi vocibus ſimulachrum ſine auribus. Dolor, exprimere ſortem miſerrimam, & videre in ſolio ridentem ſtatuam. Dolor eſt, & dolor acutus: etenim ſine miraculo nec Moyſes ad lapidem loquitur.

Dolor eſt huiuſmodi ſimulachra adorare.

Haud nova hominum converſio in ſimulachra, maximè nanciſcentium excelſa. Surdo narratur fabula, dum exhibetur in adoratione miſeria. In altis habitat huiuſmodi figura, & humilia non reſpicit. Tranſit clamor, & non eſt, eſtò in throno ſit, quia tranſit. Colitur. Quid mi homo? Optimè collocatur imago: at qui veneratur ſculptile, ſervit dolori: quoniam excelſus non reſpicit ima, ex lapide perpolito factus ſtatua.

9 Primario ergo cogitationis inſtituto. *Servierunt ſculptilibus eorum*, ideſt, *doloribus eorum.* Conciliantur diverſa, quippe in hominibus indiſtincta. Idem ſunt dolor & ſculptile. Idem? Næ. Dolor eſt aut animi, aut corporis involũtarius cruciatus. Ex imaginis opere delectatur & oculus. Labor erit, ſed non dolor, opus ſculptilis, potiſsimùm aſſecuto fine perfecti operis: & meritò ubi imago perficitur, dicitur labor & dolor; quia laborem operis efficiendi, ſequitur etiam dolor ligni portandi. Dolor in electione, labor in formatione. Dolor ut colatur, labor verò ut elevetur. Dolor denique ut ſculptile manus ſuper pinnaculum ſtatuat, labor ne corruat: ſi ergo animi & corporis vires cruciantur affectibus; idem prorsùs ſervire ſculptilibus, ac doloribus. Convertitur dolor eius in caput eius. Nec mirum; à phantaſia conatus.

Dolor operis ex labore.

10 Ridiculam ideam exhibuit nonnumquam Serapion pictor, de quo egimus ſupra *Tautolog.* 1. *Didaſc.* 12. *num.* 21. & Raviſ. Textor. ex Plinio in ſua *Officina*, *lib.* 4. *cap.* 56. ubi ait: *Pictor hominem pingere non potuit.* O nimium lacrymabilis pictor! Hæc infelicitas aliquibus ineſt. Quod Serapionis in phantaſia pictrice, ſæpeſæpius Principibus uſuvenit electione. Simulachra hominum ſuffragijs pingere intendunt, & ineleganter nec ſimulachra fingunt. Aberrant à fine, & monſtrum obumbratur pro homine; ſiquidem fingitur bipes, qui ſtoliditate quadrupes. Urſorum inſtar enituntur informia, & cupiunt corpora fingere lingua. Audi Florentium *Emblem.* 72.

Serapiô pictor. *Adagium cur?* Raviſ. Text.

Flor.

En quanto ſtudio rudes catellos
Urſa perpoliat, decentiorem
Donec imprimat, ingeratque formam.

Suum cuique pulchrum. Simiæ ſuus catulus placet. Sibi blanditur turpi penicillo, delectatur & Fauno. Præ oculis imago ſpectanda proponitur, ſed deridetur. Meritò quidem: voto fingit, & hominem fingere nequit: igitur inconſultò facit, quod primum occurrit.

Suum cuique pulchrũ.

11 Oppreſsis Filijs Iſrael, ſurrexit iudex Iepte, ut eos liberaret de Ammonitarum hoſtilitate gravi. Surrexit princeps Iſraëlitarum, qui expulſus à ſuis, quia proiectus, fuerat princeps latronum. Cæca fortuna vitiorum etiam pervertit ſortes. Multi peſsimi: & ut obſervat Seneca *lib.* 2. de *Ira*, *cap.* 7. *Ob iſta felices.* Surrexit qui miſer: nec ſe iudicavit principem, quouſque aggreſſus fuit inſanam temeritatem. Cuique Principum delirium ſinguiare ſine febri, quaſi auctoraretur dignitas proiectione præcipiti. Nota votum. *Quicumque primus* (protulit) *fuerit egreſſus de foribus domus meæ, mihique occurrerit revertenti cum pace à filijs Ammon, cum holocauſtum offeram Domino.* Ad altare Dei deſtinat, qui primus obviam ovanti fuerit, & vovet. Ecce delirium, proprius ſanè diſſolutiſsimi militis, quam cordati muneris infulis præſidis: & perperam lucebit auctoritas, & regiminis deliberatio; ubi inſeritur votum militis ſub habitu Religioſo.

Senec. *Cuique Principi ſingularis mania.*

Iudic. 11. 31. *Dementia Principum in electionibus.*

Quid ſi occurreret immundum animal? Omnia proterenda, modò reſplendeant vota. Elevatio victimæ neceſſaria eſt: quod primum occurrerit, votum fuit. Si principis votum; licèt animal, & immundum elevandum: verum enim verò dedecus ignominiaque principi, quòd primum occurrens deſtinetur altari. Hiſpanice: *Es dislate, è indignidad en el Principe elevar lo primero que ſaliere.* Adi *Tautolog.* 3. *Didaſc.* 3.

Delirium eligere, quod primò occurrit.

V. 35.

12 In viſcera retorquetur ſagitta voventis. *Heu me!* dixit. Dolet? Etiam: viget lamentum eiuſmodi perpetim in cordibus, quando quod libuit, quia libuit, elevatur culminibus. Haud hominem pro figmento ambiunt, dum hominem Principes effingere volunt. Perperàm conſequentur niſi dolorem, conantes eformare novam imaginem. Hominem ergo pingere nequaquàm poteſt princeps qui elevat quod primum occurrit. *Heu me*, dicet, & iure. Torquentur viſcera, & apparent vota vana. Conſideranda eſt electio; ut in ſolio principis reluceat imago. Dotibus ornatum, non muneribus, & dignitatibus erigere tentet. Præclaris inſtrumentis commendabilem miniſterijs ornet: ſiquidem ſine homine, ſplendor muneris & munus futile, ac creatura ex nihilo figmentum leve.

Dolor eligentis.

Dl.

DIDASCALIA II.

Operis concipitur amor.

Ovid.

1 PUlcherrimè Ovidius de artifice Pygmalione, eburneum fœmineum ſimulachrum venuſtatis numeris abſolvente, *lib.* 10. *Metamorph. Fab.* 8. Placuit opus; & ſtatuam à ſe ſculptam ſine cerebro deperibat amaſius. Moratur, miraturque ſimul præſtantiam artis, atque haurit pectore ſimulati corporis ignes.

Idem.

Incerta niveum mira feliciter arte
Sculpſit ebur formāq; dedit, qua fœmina naſci
Nulla poteſt: operiſque ſui concepit amorem.

Pygmalionis ſtatua.

Pertæſus fœminas, ſtatuam ſuam in fœminam concupiſcit. Opus quia proprium, imò eburneum oculos allicit. O cæcam ſtultitiam! Nihil magni intereſt inter ebur & coſtam. Magnum utique quod cederet arti fœmina, neſcia regi. Mulier mollior in pertinaci materia: verùm durior potius, ſi ineſt præſtantiſſima forma. Molleſcit Pygmalionis ebur, vertiturque in virginis faciem: at dum ſtupet, & dubiè gaudet, fallique veretur; rurſus amat. Nihil mirum: corpus animatum erat. Ecce Adam. Quo pacto? Præſes futurus à Deo delineatur in limo: pulchra oculis ſpectatur imago. Optatur vita. Erit ne? Sanè. Haud reſiliet auctor, quantumvis ex ſtatua homo, gratiarum immemor. Cedit argilla mirificè in propoſitum opus; ſed opus non cedet, quoniam Adamus recedet ingratus. Fovetur herclè in pectore hominis vomica: aletur vipera, ſi informatur ſtatua. Ergo conteratur, peſſumdetur. Satis eſt: operis nimius concipitur amor. Res proculdubio ad extremum producetur. Homo fiet gratijs, innumeriſque dotibus abſolutus. Ingratus prænoſcitur, ſed quia ingratus.

Amor contendit cum ingratitudine.

Nimia patet charitas. O arcanum amoris incomprehenſibile! Melius enim iudicavit de malis benefacere, quàm mala nulla non eſſe. Perpende. *Faciamus hominem*, quaſi conſulendo, dixit Pater Luminum ad Filium & Spiritum Sanctum. *Faciemus hominem*, vertit Rupertus. Si interrogatione conſilium proponitur, totum ingenium divini amoris in hominem deſignatur. *Faciemus hominem*: Faciamus. Difficile opus, eſtò pulchrum. *Faciemus hominem?* Erit opus & figmentum charum, & carum. *Faciemus?* Erit porrò ignominia, quod modò gloria. *Faciemus?* Faciamus. Propter hoc. Informandum eſt iccirco terreum figmentum; ſiquidem in ingrato plus rutilat beneficium. Propter hoc. Gratias pro gratijs Auctori pręclarè de ſe merito non referet. Propter hoc dabit Dominus ſignum vitæ. *Faciamus*, quamvis à nobis recedat. Erigatur, etſi concidat. Placidè feret amor obicem ingratitudinis, quo fit flammæ ferventioris. Conflabitur ſine dubio, quamvis ingratus Adamus. *Faciamus.* Quamquàm fides non ſervetur; opus non conſumetur, ſed conſummabitur.

Geneſ. 1 26.

Rup.

Extremi amoris eſt ſignū, abſolvere opus ingratum.

2 Tranſiturus de hoc mundo ad Patrem Aſſertor noſter, viſcera charitatis & ignitæ dilectionis oſtendens: *Cum dilexiſſet ſuos qui erant in hoc mundo, in finem* ſine fine *dilexit*. Nec frigida corda tepore obruere ignitum amorem, neque aquæ ingratitudinis pectoris potuerunt extinguere charitatem: igitur fervens ſtudium excluſit terminum, & virtus dilectionis obſtaculum. *Suos* (ait Ioannes) *qui erant in hoc mundo, dilexit.* Nonne & hos qui in mundo, & eos qui adventum eius expectabant in limbo? Profectò. Omnes utique cum dilexiſſet, dilexit. Cur ergo hos, qui in mundo tantùm, exprimit Ioannes dilectos, cùm gratia, qui in alio erant, conſtitueret firmiſsimè gratos? Mens elucidabitur Ioannis & momenta ſingularis dilectionis. Ab illis diligens redamatur, & præſtat mutua in amicitia voluntas. Ab his diligens non diligitur, cùm recedat diſcrimine familiaritas: & non dicitur dilectio erga illos, qui erant in limbo; ſed duntaxàt erga eos, qui erant in hoc miſero mundo: ſiquidem eminet obſequium, detracto amicitiæ flore, ſine amica officiorum viciſsitudine.

Ioann. 13.1.

Sine officiorum viciſsitudine floret amor.

Clariùs expromendum amoris ſtudium. In qua nocte tradebatur propter illos in mortem, magis ac magis dilecti debebant firmam exprimere voluntatem. Quid ergo? Alius illum traditurus, alius negaturus, & denique ille ab omnibus deſerendus. Ecce amici nequam ſæculi. Ecce contrà dilectio pectoris amoris validi: & ſuos, qui erant in hoc mundo, dilexit, cum dilexiſſet; quia plus floret exceſſus benevolentiæ, dum cor perperam ſatiſfacit amicitiæ.

Imò deſpectus.

3 Dilexit cùm dilexiſſet. Sine cauſa dilexit, & inſtanter quia dilexit, in fine diligit. Cauſa amoris amor eſt. Patet. Honorat diſcipulos, futuros ingratos: qui modò ſeſe cohortantur ad moriendum cum illo (quid pro illo, ſi cum illo non, & fugiunt?) diſcedunt, ubi amicitiæ periculum fit. Sciebat defecturos? Sciebat enim: & diligit, licet ſciens defecturos. Victoria latebat in amoris contentione: & in finem dilexit defecturos in fine. Si non eſſent præcogniti, alliceretur in beneficia ſpe gratifici amoris: cognita verò ingratitudine, beneficia caſſa erant in obſequium recipientis;

Contendit anxiè quod ingrati fiāt accepti.

tis: & diligit eos, qui erant in hoc mundo, ſciens ingratitudinem dignatorum: quoniam amoris opus, in opere perdere conferendum beneficium. Amor micat ſingulariter erga ſuos, qui degebant in hoc mundo, non erga illos (quamvis diligerentur) qui deceſſerant à ſæculo. Conatur Chriſtus munificentia & ſtudijs vincere & debellare proterva corda, ut voluntati voluntate reſpondente, ſint docibilia: & ſuos diligit, quos ingratos ſciebat, quin vel in minimis amori pectus reſpondeat; quippe ſi extra mundum illi grati & accepti, iſti accepti futuri, quamvis ingrati.

Ioann. ubi ſup.

4 Cauſam huiuſmodi vehementiæ ſignat Evangeliſta. Nota: *Cum dilexiſſet ſuos* (ait) *qui erant in hoc mundo, in finem dilexit eos. Suos.* Sui erant & ſui eum non receperunt: & diliguntur ſui, quamvis ingrati. Scit ingratos fuiſſe, quinimò in inſtanti periculo certè fore: & adhuc rapitur in ſuos dilectione vehementi; quia ſemper operis amor concipitur ab auctore. Non proſternuntur facilè opera manuum, quia in eis exploratur laborioſum artificium. In natura pulcherrima rationali florebat imago Deitatis, quamquàm piaculo obliteratum veſtigium ſimilitudinis. Laborabat artifex, ſed in vanum, cùm in pectore hominum Chriſti amori non cederet cor averſum: & certatim contendit imaginis ſimilitudinem, in operis dilectionem intentus; ne prætermiſſo beneficio, perperàm periret opus.

Inſiſtit adhuc pœnitēs.

Sui erant, ſed iam non ſui; igitur nec dignati ſatisfaciunt amori. Sui, perſiſtente auctoris imagine: & iam non ſui, abolita ſimilitudine. Ingratos contemplatur, & inſiſtit? Opus & figmentum eſt: inſiſtit: ſuos utique cùm dilexiſſet dilexit, ut ad primævam formam deformis reſtitueretur imago; licet ingratitudine, prorsùm alienum opus eius ab eo. Vide *Tautolog.* 3. *Didaſc.* 1. 2. & 4. *Suos* vocat. Suos? Suos. Unde, vel quomodò, ſi inficiatur amicitia fracta? A Charitate perfecta. Proprium erat opus; & licet ingratos, in hoc articulo agnovit ut ſuos. Sic dilexit, cùm homines dilexiſſet.

Propriū amoris opus nūquā iudicatur alienum.

5 Quod pretioſum in amore Dei videtur ſtudium, in humani pectoris inſano affectu indigitatur delirium. Haud filius turpis in parentum oculis. Delectantur monſtro quaſi Adonide, atque blandicijs demulcetur ab ubere. Si vitium pollet, dicunt: *Rara facies menda caret: maculis nitet: etiam fœda venuſtiſsimè cadunt.* Hoc ſanè non eſt delirium? Quantis ſolicitudinibus emitur proprium opus! Res eſt plena timoris amor. Sudore dulciter pectus premitur: verùm quænam dulcedo, ubi ipſis felicitatibus artifex ſuffocatur? Siſyphi more, ut canit Lucretius lib. 1. de *Rer. Natur.*

Excuſatur à parentibus defectus prolis.

Quodnā in opere opus?

Lucret.

——— Semper victus triſtiſque recedit.
Num petere imperium, quod inane eſt, nec datur unquam,
Atque in eo ſemper durum ſufferre laborem,
Hoc eſt adverſo nixantem trudere monte
Saxū, quod tandē ſummo iam vertice rursùm
Volvitur, & pleni raptim petit æquora campi.

Siſyph pœna ambitionis ſignū

Luit ergo pœnas. Saxum prolubio politum, elevat factio in verticem; & relabentem cogitur perpetim volvere lapidem. Diverſo pœnarum genere fulcitur lætus aſſenſus: illicò deſipuit Nabucus, cum cogitaret: *Nonne hæc eſt Babylon magna, quam ego ædificavi?* Amore operis evanuit cerebrum regis. Apparuit phrenitis; paſſum eſt cerebrum languorum cordis moleſtiam, dulcem torturam; cùm tranſiret in defectum ſolis rationis morbus lethifer cæcutientis voluntatis. Sphæra calamitatis eſt iſthæc vox: *Opus meum.* Vernaculè. *Sugeto de mi cariño. Perſona de mi afecto. De los mios.* Doloribus fatigantur auctores in mundo ſursùm, poſteà in inferno deorsùm. Ni dicas, *infernum deorsùm* dici à Propheta; ad diſtinctionem inferni propter eiuſmodi opera. Etiam infernus circunſpicitur in mundo; igitur in operibus *nullus ordo.* Iobi querimonia fuit, *Infernus domus mea eſt.* Hærent enim pectoribus ſursùm cruciatus intimi, quin deſiderentur labores & dolores inferioris inferni.

Daniel. 4. 27.

Factio officina calamitatis.

Eccli. 51. 9.

Iob 10. 21. & cap. 17. 13.

In primis factor præſupponitur cæcus, & fautus indignus. In voluntate ter caliginoſa electoris, renident merita dignitatum ſatagentis: & dedecus opprobriumque ſuſtinebit elevata poteſtas, dum ſublimatur indignitas: etenim puroputo voluntatis affectu meretur thronum, qui dotum inopia nec meretur affectum. Inſignitur acumine, ornatur diſcretione, commendatur conſilio, rutilat apprimè auctorata imago egregio opere, cogitatione pictrice. Elevatur ad ſidera, & apparet electi & electoris inſipientia. Voto dotes fingunt, & certatim in imaginem ſomnia ſomniabunt. In eam ex arrupto procedit affectus anxius; & ridetur ſui dedecoris pictor eximius.

Amentia factioſi.

6 Hæccine ſchola laboris. Intuere & reſpice opprobrium ſoliloquentis, maximè ſi opus deviat à delirio expectationis. *Pœnitet me* (ait intimè punctus, quia electus noluit divinam contringere propter hominem legem) *feciſſe hominem.* Obliviſcatur, ſit, qui favorem non obtinuit: ſed homo, quem hominem ego feci? Hem! Erumpet iurè de proiectione ab oculis lachryma; nec invenietur aliquando opportuna medicina. Attendite, & videte, ſi eſt dolor ſimilis ſicut dolor meus.

Soliloquia.

Ubi

Ubi eſt iſte Adam è-pulvere factus homo, quaſi unus ex nobis? Ubi eſt Adam? Ingratus abſcondit ſe. Egrediatur quantocyus e pectoris paradiſo, qui gratis receſsit ab auctore benefico. Sepulchrum apud Ægyptios ſignificatur per cor. Quàm aptè! In conditorio cordis, ubi placide vivificabatur, in perpetuum ſepelietur; cuius titulus: *Hic iacet ingratus ſine honore conditus, & tanquàm mortuus à corde traditus oblivioni, ne memoriam laceſſant honores ſupremi, dum tulit honores.* Duo eſtò aborſu pariter in lucem (utinam in tenebras!) edidit ingratitudo: illi peperit oblivionem, mihi verò pœnitentiam facti. Pœnitet me feciſſe. At ubi requiram, & inveniam præſtantiorem imaginem, hominem elegantiorem? Ab humero & ſursùm omnes ſuperat, & cunctis dotibus præſtat. Heu! Inſanis? Utique. Non reliquit factorem & receſsit? Non pœnitet feciſſe? Non pœnitet. Dolo creſcit pectoris ignis: nonnunquàm remanet affectus operis, ac cor intenſiore amore carpitur, ubi carpitur fraude. Eximium profectò ratiocinium! Liquabit & ſaxum.

Pœnitentia.

Ecca inopia mentis, quæ oritur ſanè è vulva prædivite fœcundæ vanitatis. Non alio cardine vertitur vafra electorum machina, & viget in ſingulis ſingularis dementia. Favorem & poteſtatem inficiatur tacitè, quoties opus recedit ex induſtria ab auctore. Ne debitum ſolvat, muneratus ingenioſè negat: ac negato influxu in operis formatione, perit artifex immedicabili vulnere: ſiquidem notam ingratitudinis eludit pectus ingratum, cùm alteri principio ſubdolè conceditur artificium. Hoc ultimum malorum.

Motivũ huiuſmodi conatus eſt vanitas ſuperiorum.

7 Poſt filios Dan clamans Michas ſaucio pectore, compellitur os ſignare. Amaro animo proſequebatur plorans fletum ridentes; & accenſa bili portare non potuit amaritudinibus inſultantes. Quid clamas? Subriſu dixerunt. Altiùs ſubſedit ludrica interrogatio, quàm ſimulachri inverecunda ſurreptio. *Deos meos* (audacter reſpondet) *quos mihi feci, tuliſtis, & omnia quæ habeo, & dicitis, quid tibi eſt?* Nihil habeo, & ideo queror. Verùm quomodò nihil? omnia fatetur habere, & nihil habet? Nihil. Non Dei abſentia per quem factus, ægrè fertur à pectore amante; ſed ſimulachri vilis, quod ſibi fecit. Opus perdidit, quantumvis vile: & nihil omnibus divitijs arbitratur habere; quia amiſſo, cordis idolo, totam maſſam ſubſtantiæ quaſi nihil deſpiciet pro dilectione.

Iudic. 18.14.

Nihil habet auctor ſine opere culto.

8 Vox prolata interpretatur cordis dolorem intimum, ob ablatum à latronibus ſimulachrum. Perpende: *Deos meos, quos mihi feci.* Mihi, non alijs: & profectò duriſsima pœna adhuc inter vana ſimulachra, plantare vineam, & quod alij percipiant fructus ex ea. *Mihi feci*, non alijs: & plorabo, quod auctor inſultetur deſtitutus, & exultet latro fautus. *Mihi* miſero & miſerando: ſiquidem dura undecumque conditio, totis elaborare niſibus ſimulachra, & ab illis in alieno cæcè ſpargi beneficia. *Mihi*, opificum lamentabili exemplo: etenim ſpectaculum artifici acerbum, quòd effugiat ſculptile manus fictrices, & quòd fures operis oſtententur cultores. *Mihi* demùm importabile, tot diebus & ſumptibus laboraſſe in idoli exaltationem, & alijs tribui culminis dignitatem. Omnia ergo quæ habeo tuliſtis cum cordis idolo; ſiquidem opere perdito, nihil habeo.

Elector non eligit hominem dignitati, ſed ſibi.

9 Mira naturæ referente Plinio, occurrit quod *lib.* 7. *cap.* 2. de Acephalis narrat. *Occidentem versùs* (ait) *quoſdam ſine cervice oculos in humeris habentes.* Acephalus idem eſt Græcè, ac ſine capite. Emblema inſigne arbitror in eiuſmodi monſtris præſeferens turpitudinem æſtuoſitatis: quandoquidem qui ſtudet blandimini affectus, ut ſibi faciat ſculptile, diligens nimioperè ſuos; oculos habet in pectore ubi affectio, & nequaquàm in capite ubi rutilat ratio. Acephalus eſt utique qui regitur affectione regnante: ſiquidem amor ducit cæcè rationem, cum rationi congruat dirigere voluntatem. Gratulabundi Iſidis aſelli effigie veneranda factioſi procedunt, ſed dorſo pando imaginis onere procidunt, neſcientes vectore tumido adorationem imaginis præpotentis, evaneſcere ſumptibus flagrorum fuſtis. Vide apologum apud Claudium Minoen, & Gabrielem Faernum. Sanè aſelli, oneri dedititij, & pro libito angoribus arte & arctè emancipati. Oculos in humeris habent, quia pondus oneris ſuſtinendi undique perſpicuè vident: & minimè conſiderant, quippe laboratam & elaboratam effigiem faſtosè portant. In humeris ergo oculos oportet haberi, ut videatur quid humeri poſsint portare: ne cor inani ſeductum gloria, conſilio lapſum oneri invitè ſuccumbat. Dicat ergo glorioſus cum Camelo Sarcinario: *Nihil ſupra vires perfero.* Adi Petram-Sanct. *lib.* 8. *Symbol.*

Plin.

Affectio excæcat.

Minime videt quid eſt imagine portat.

10 Propoſito reſpondere oportet; ſiquidem in varia diffuſum meditanter & piper. Sunt igitur homines contra naturæ inſtitutionem oculos in humeris habentes. Primo oculorum iactu imitanda videtur deformitas, ne prævaleat (uſuvenit) amicorum infidelitas. Pectus ſedes affectionis eſt, inibi cor: & conſultò hæret pectori vividus oculus, ut homo perpendat, cui traditur pectus. A Lacedæmone ictibus crebris & validis probatur

Probetur amicus futurus.

Plut.

ſcutum. Adi Plutarchum in *Apophth. Lacon.* Adrianum Iunium, Lucam Contile, Silveſtrum à Petra-Sancta, atque Stradam in *Symbol.* Cæſim & punctim cautus probat ſcutum, quod ſatius erit in periculis amicorum ne ſine delectu pectoris revelata cuſtodia, fiat rebellis amicitia, & queratur ſerò de amiſsione irreparabili libertatis, ob facilitatem dedititij pectoris. Haud aliter in cordis hoſpitio amici debet collocari imago: quippe non ita paſsim ineptirent hominum artifices, modò in pectore figerentur oculi perſpicaces.

Pœnitudo amicitiæ unde?

11 Verùm Bone Deus! In ſpeciem monſtroſitatum transfertur lucidè modus opificum. Quicunque igitur dotibus allectus, pro ornatu operis dat lilia manibus; gaudet in capite coruſcis (loco debito) luminibus, nec cæcè procedit vigili corde. Opus enim perfectum habet, quod nuſquàm & nunquàm deſpiciet, ſed circunſpiciet: qui verò quale quale, quia proprium ſine modo, ſine delectu (ut attollatur ſuffragijs turpis imago) elevat pertinaciter citra merita; in pectore proculdubio collocat lumina: etenim tantùm rapiunt phantaſmata oculos ſubdolè, quos habet dulciter pro delicijs in pectore. Huiuſmodi affectionem tanquàm ſcandalum etiam perfectorum (amplexum ultrò, quia latet vitium) conatur extirpare Ss. Benedictus *Regul. Sanct. cap.* 69. ubi ait: *Summoperè præcavendum eſt, ne quavis occaſione præſumat alter alterum defendere Monachum in Monaſterio, aut quaſi tueri, etiam ſi qualibet conſanguinitatis propinquitate iungatur.* Perperàm aliter Monachus imitabitur Dei examinis rectitudinem, qui etiam *in Angelis ſuis reperit pravitatem.* Quid enim quod ſui & miniſtri, ſi pravi? Diſtortè enim prædicabit præſes Angelum, pravum miniſtrum abdicentem miniſterium. Pravus etiam erit affectus, ſi diligitur miniſter tantùm quia proprius. Hoc namque eſt laborare glaucomate, cæca perſpicacitate. Phyſicus languor ſæpeſæpius oritur ab importuna emiſsione ſanguinis, civilis verò ex apoplexi ſanguinis & ructibus repletionis: ſanguine enim ſi œſtrat cerebrum; notius eſt in auſpicis deliberatione periculum.

Oculos à corde eliminat prudentia.

S. Ben.

Iob. 4. 18.

Pravus affectus in opus pravum.

12 Acceſsit mater filiorum Zebedæi *adorans & petens aliquid.* Dixit *Aliquid*, quaſi parum, aut nihil. Cor inſaciabile fœminæ. Adorat, & orat; ut filij ſedeant primi in throno gloriæ: & ſolium conceptum ab ambiente fœmina, iurè (ipſa neſciente, & ſciente) quaſi nihil habetur; quia nihil operibus, ſed interventui ab illa conferebatur. Precaria adoratione accedit, & ſedilia prima *aliquid* dicit. Quo pacto aliquid eſſe, neſcio; dum ſumus in hoc tabernaculo. Vanitati enim creatura ſubiecta eſt. Fulgor dignitatis fulgur, imò fulgetrum: entitas ſolij nihil: meritò aviditati fœminæ debetur hoc aliquid. Vide plura *Tautolog.* 6. *Didaſc.* 3.

Matth. 20. 20.

Omnia nihil videntur fœminæ ambienti.

Perpende circuitus dextræ ambitionis, & efficacitatem vafram libelli ſupplicis. Mater filiorum Zebedæi accedit, & pro filijs thronos ambit. *Dic* (ait ad Chriſtum) *ut ſedeant hi duo filij mei.* Ideſt, *Ut ſedeant hi duo conſobrini tui.* Deprehenditur palàm dolus materni pectoris; & retunditur arte fraus ambitionis cum motivo cauſæ ſanguinis: quoniam plus in civili, quàm in materiali corpore reſultat alogia, eò quòd caput laboret ſanguinis apoplexia. Minimè expectatur ſplendor Principis, ubi ita impellitur morbo in deliquium rationis: ſiquidem extorquere ab illo cauſa ſanguinis thronum: erit ſanè deſiderare in regimine ſtupidum.

Verſ. 21

Ars fœminæ ſubdola in adoratione.

13 Gliſcunt enim & placidè civilia contagia, ex quibus in corde affecto gignuntur varia ſymptomata. Diſcipulis Princeps N. & Dominus Ieſus diſponebat regnum; atque prætextu ſanguinis hinc & hinc filijs mater ſolicitat ſolium. *Unus* (inquit) *ad dexteram, & alius ad ſiniſtram.* Latus Principis occupare deſiderant, ut protegantur & protegant. Quidni? Si ſanguinis meritis, orietur pleuritis, acuta febris, reſpiratio difficilis, pungens dolor, laborioſa tuſsis. Ergo petere conſobrinis ſolium; ambitus erit, ut cadat Princeps præ dolore laterum. Vide hìc *Didaſc.* 11, *num.* 8.

Ibid.

Perit Princeps dolore laterum.

Diſcrimen & magnum intereſt inter corpoream & politicam pleuritidem; & ſitu affectionis pravæ, & etiam cruciatu intolerabili anguſtiæ. Intolerabili cruciatu: ſiquidem in dolore laterum phyſico exclamat æger voce Stentoria exprimendo dolorem, & in civili ſupprimit amaritudinem. Signat ille miſer latus, cui hæret læthalis ſtimulus; & vivet, ſiquidem dolet: hunc verò dolor intimè pungit, & pectus vomica gaudet. Proſit, obſit, affecto nil placet, niſi quod lubet. Mors eſt delicium, & languor oblectamentum: perperàm ergo malè affectus laterum dolore valebit; cum ſibi blandiatur ægritudine voluntaria, de qua non dolet.

Voluntaria pleuritis.

14 Etiam ſitus diſcrimen eſt. Affectus itaque, ſeu afflictus phyſicè in latere patitur, ac lamentabiliter membranulæ latera cingentis inflamatione movetur. Ad vomicam properat ſanguis, atque in affectis lateribus (dum pus conficitur) maximi dolores. Non ita politicè: ſiquidem ſanguis laterum aſcendit præproperè cerebrum. Neutiquàm præcordia gravantur ſanguine ſuperfluente, cùm affectio veneno mulceat, vellicante prurigine.

Non dolor eſt, dum præparatur virus, ſed maximi plauſus, blandimine nocuo, & ſanguine putrido ſuccincto cerebro. Hem! Tormentum Principis immedicabile. Novum eſt, caput laborare pleuritide. Hiſpan. *No ſe halla medicina para curar un dolor de coſtado en la cabeza.*

Nocuior in capite.

15 Denique decoris cauſa affectio laterum à Regibus abigenda. Haccine ægritudine, expers inſaniæ cerebrum, undelibet micat, & ad extremum uſque halitum ſenſibus expoſita luſtrat. Aliter igitur voluntaria pleuritide, acrius pungente cognatorum ſanguine. *Quid intereſt* (ait Seneca *lib.* 2. *Quæſt. Natur.*) *ad mortem iuſsi eamus, an ultronei?* Semper cavenda: cæterùm ſi neceſſaria, uti omnibus ſtatuta; Princeps vereatur, dolore laterum præcorditer ictus, inter ſuorum manus ne moriatur exſenſus, & inſenſatus. Intendunt ſæpenumerò propiores lateri, ut nanciſcantur vota, turbationem cerebri: neſciteque aſſerit Rex regum imprudenter conſobrinos, prætextu ſanguinis appetentes thronos; quippequàm dum ſibi ſolicitant maieſtatem, Principi conſtruunt ſanguinis repletionem, intellectus ægritudinem.

Senec.

Princeps laterum obſequio & ſtudio male affectus inſenſatus.

Expes vitæ arbitrandus, cui de hac affectione politica minimè dolet. Nec levi ſpongia ulcus Principis Æſculapius abſterget. Emiſsio ſanguinis incunctanter phyſicæ pleuritidi medicina, quoniam ſanguis graſſatur in halitum exuperans per præcordia. Auxiliabitur huiuſmodi opus latenti veneno, dum ludit & lædit cupita cordis imago: igitur ſi Princeps & quàm properè non evacuatur putrido ſanguine; evaneſcet profectò maieſtas ſolij.

Medicina pleuritidis.

16 Opus eſt imitatione naturæ dextrè formantis opera, in operum regiminis conſtructione politica. *Cerebrum* (obſervavit Plinius *lib.* 11. *cap.* 37.) *omnia habent animalia, quæ ſanguinem ::: hominibus hoc ſine ſanguine.* Ergo ſi ſanguis ſubſidet cerebro, iuxta Plinij ſententiam non erit homo. *Sine carne, ſine cruore, ſine ſordibus: hìc culmen altiſsimum, hìc mentis eſt regimen*, infit idem, quem ſequitur Alexander ab Alexandro *lib.* 2. *cap.* 19. Singularis prorsùs differentia inter homines & muta animalia: hæc cerebrum habent cum cruore, homo verò ſine ſanguine. Diſtortè ergo ſordes hærebit ſanguinis, ubi pollet regimen principatus rationis. Ad regimen natus eſt homo, ac natura eliminat ſanguinem meditanter à cerebro. Conſultò quidem: ſanguis in cerebro, vel irrationalis, vel furentis ſignum eſt. Princeps igitur ſolicitè caveat, ne in caput ſanguis aſcendat: igitur in iudicio prætermittente indulgentia ſanguinis aſcenſionem, ſeſe ſignabit furentem irrationalem. Subſedeat enim in corde ſanguis, cùm ſit typus amoris. Secùs in capite membrorum principe, ne ſine cerebro vacuum ſonet inane. Hìc mentis regimen: hìc rationis altiſsimum culmen. Ergo ſordeſcens cruore, in culmine ſine mente.

Cerebrũ habent animalia quæ ſanguinem. Plin.

Alex. ab Alex.

In homine ſine ſanguine.

17 Furorem Nabuchi videris vigilanter ſomniantis. A phantaſiæ officina vigilantis minimè exciderat, quàm ſopitus ſomniaverat, farraginea prorsus ſtatua. Auream cogitavit ex parte, ex toto conſtruxit, è pulvere typorum erexit, ac denique collocavit. Ad dedicationem convenerunt omnes, quanvis inviti; ut blandirentur Principi, etſi invita adoratione. Statua hæc aurea. Ita: ſed erit ſub lite, an cernui ſtatuam, an verò aurum venerarentur ſtatuæ. Statua aurea, ſed non ſolida; quippe *intus vacua*, uti obſervat hic Cornelius Alapide. Opera Principum plerunque gaudent extima pretioſitate. Gloria extrinſeca favor eſt. Gloria ab intus ſolida, dotes ſunt: & ſæpenumero uſuvenit imagines magis adorare favore Principum, quàm excellenti faſtigatione dotum: ſiquidem opera undecunque vacua, quantunvis extollantur à ſervatrice fortuna. Intende.

Dan. 3. 1.

Adoratio falſa.

Alap. *Sæpe imago vacua eligitur, ut adoretur.*

18 Concepto operis præclari amore, urgebat vanitas ſomnij pungentis. Concepit faſtoſus imaginem, & peperit uti ſanguis in capite ex abrupto furorem. Patet. Statua aurea erat, ſed intus vacua: & propoſito furioſo intendit Nabuchus cum ſingulari dementia, ſtatuam merè ſtatuam, hominibus magnis præcellere *altitudine cubitorum ſexaginta.* Quiſquis imaginem contemplaretur, collocationem, & magnitudinem; ſuſpicaretur Principis effigiem dotibus lectam, inſtrumentis præclaram, auctoritate commendabili ornatiſsimam: at intento opere, nihil erat imago, quanvis elevata ad thronum, niſi peltatum hominis ridiculum ſimulachrum.

Ibid. *Amentia auctoris & auſpicis.*

Cauſa inquirenda furoris. Sine dubio cerebrum Regis poſſedit ſanguis. Noverat Nabuchodonoſor vacuam ſtatuam, ſed etiam noverat ſtatuam ſuam. *Statuam, quam ego feci*, inquit. Opus eſt, & opus cordis: ſingularis comminò fabrica pectoris: & licèt ſanguine ſordeſcat cerebrum; quia proprium totis viribus elevandum ſimulachrum. Signum, ait, erit amentis: glorioſus plauſus. Etiam ſignum erit in propoſitum & ex propoſito amantis..

Verè in imaginibus amãtes amẽtes.

19 Plerunque non aliter à Principibus extruuntur effigies, ac dedicantur rationales imagines. Eſtò procedat, & præcedat cordolium, cunctis ut adoretur proponitur ſimulachrum. Vacuum oſtenditur dotibus, ſed non muneribus. Opus ideo præſtat

cordis, & non mentis. Iam ergo laborat cerebrum; cum non factura, ſed fartura derideatur dignitatum. Congrua & multoties condigna in opus affectio. Clara profectò, ſi præclara imago. Dum merita fulgent, non obſit affectus, ut munera conſequatur ille, qui dignum opus. Obſit & iurè, ubi pro meritis dignis: turpiter exponûtur conatus pectoris: igitur iudicabitur meritò conſtitutio furentium; pro cordis inclinatione, operibus deſtribuere munera dignitatum. Voluntas arripiat idolum confictum ab opifice corde, cæterùm præcordia removeantur à capite, in quo principari debet ratio, & nullo modo voluntatis proiectio. Furor eſt: cauſa affectionis prætexitur, & magis magiſque dementia manifeſtatur. Verùm (Proh ſuperi!) in vanum crebris ſermonibus laboramus, atque aërem verbis moleſtiſsimè percutimus. Operis, reſpondent factioſi, prævalebit excellentia, quantumlibet cerebrum inuratur inſania. Perit enim ſpecioſitas mentis fabricà philauti cordis. Satiùs concipitur dolor, ubi operis concipitur amor.

Furor eſt opus elevare, quia opus.

DIDASCALIA III.

Princeps non debet dominari, ſed ratio.

1 EX Magno Noſtro Gregorio *lib.* 1. *Moral. in Iob*, cap. 7. excerpſimus floſculum, tanquam ſpecimen Prælatorum & Principum. Neſciat verè Princeps poſſe, quod poſſe non debet. Poteſtas non principis, ſed legis, atque rationis. A Legibus pleniſsimum in rebus arbitrium: citra leges Reges dedecebit & votum. *Ideoque Abbas nihil extra præceptum Domini (quod abſit) debet aut docere. aut conſtituere, aut iubere*: monet D. Benedictus Pater meus dilectiſsimus *Regul. Sanct. cap.* 2. Obſerva illud *Ideo*, dum intenditur poteſtatis conſtitutio: etenim nanciſcetur optabilem poteſtatem, ſi ſubditus ſequitur dominatricem rationem. Abſit ergo in imperante, quicquid abſuerit à lege. Sequeſter tantùm iuris eſt, non ius Superior munere conſtituitur: cuſtos æquitatis, ſponſuſque iuſtitiæ in dignitate digito demonſtratur. Lex quidem, quia primas in ſolio Principum, præſtantior eminet, ut menſura cæterorum. Ergo turpiter navis Reip. gubernacula poſsidetur à Principe ni colla ſubdat, uti par eſt, dominatrici legi.

Greg. Magn. *Poteſtas non principis, ſed rationis.*

S. Ben.

Superior non ius, ſed iuris ſequeſter.

2 Plaudentur, dignè tamen, laudatiſsima poſteritati (Antiquitatum obſervatrici) ſymbolica inſignia VViſigothorum Regis VVambæ. Cingebant enim coronam, emblema regium, *Ulna, circinus, trutina, & iugum*, Vide Antonium Auguſtinum, & Vincentium Ioann. de Laſtanoſa in *Muſeo Numiſmat.* Stemma omninò clariſsimum tanti Regis, ſub quo latet norma Principis: etenim in parma fulgebat dominium ſpectabile rationis. Perpende ſingula. *Iugum.* Iurè dum ſignatur regnum: at nullatenus ſuave, ſed moleſtiſsimum. Ab expertis diadema deſpicitur, corona à ſtolidis libenter, ſed inſipienter levatur. Iugum eſt, ſi prudens introſpexerit. *Iugum.* Haud illud quo, quà libet, bos figit pedem, ſed quo ducitur. Si iugum corona, regiminis loris erit Regis purpura vincta. Non liber qui currum portat, ducit, & anxiè regit. *Repete* (canebat Tragicus in *Thyeſte, Act.* 3. v. 411.

Inſignia Uvambæ

Anton. Auguſt. Vinc. Ioann. de Laſtan.

Inſignia recti regiminis.

Corona iugum.

———— Silveſtres fugas,
Saltuſque denſos potiùs, & miſtam feris,
Similemque vitam. Clarus hic regni nitor
Fulgore non eſt quod oculos falſo auferat.

Senec.

Ac in *Oedipo, Act.* 1. v. 6.

———— O fallax bonum,
Quantum malorum fronte, quàm blanda tegis!

Idem.

Tyrannica ſententia eſt, *Precarium imperium, ubi tantum honeſta dominanti licent.* Adi Ulpian. *lib.* 1. ff. de *precario.* Liber erit Princeps, ubi ſubditus legi. Ergo ut polleat maieſtate Reſpublica, iugo legis oportet ſubdere corda. Solutiſsimus erit proculdubio principatus, ubi Princeps fuerit à legum iugo ſolutus.

Liber princeps ſubditus legis.

Vitta apud Perſas & Macedones Regis emblema, uti videris apud Plutarchum in *Alexand.* Unde illud Virgilij Æneid. *lib.* 6. v. 665.

———— Et circum tempora vitta.

Vittæ inſigne Regum. Virgil.

Nullus adorabatur ſine faſcia. Hac vinctus, quod licet legibus, operatur, & eſtò invitus libenter. Sine illa, quod lubet, ſolutiſsima Princeps machinatur poteſtate: vittaque iungitur coronæ, tanquàm Regum inſigne; quoniam labile imperium abſolutæ poteſtatis, ſine levi iugo rationis dominatricis.

Labile regnum, ubi pro lege prolubium.

3 *Ulna* quoque additur gentilitio ſtemmati. Nec plus, nec minus. Nec lineam Rex exceſſurus, neque à linea diſceſſurus. In exceſſu micat tyrannis, in receſſu decapitatio iuris. Utrumque dedecet, & maieſtas nimia oſcitatione deploſa, & inſolentia ſuperfluo faſtu turpiter auctorata. Palinodiam cantet Maro, qui ubi ſupr. *lib.* 1. v. 80. dixit blandè ex Iove:

His ego nec metas rerum, nec tempora pono:
Imperium ſine fine dedi.

Virgil.

Imperium enim tacitè cum fine dedit, qui nec metas rerum, nec tempora poſuit. Haud extra fortunam facilè iactus, ſecurior è tuto validiſsimus ictus: nec niſi vertiginem quibit nanciſci ſperando meliora, regimen abſolutum ſine menſura.

Ulna ſymbolum Regni.

Vinc. Chart.

Imago Rhamnuſiæ.

Super rotam Rhamnuſia placidè ſedet, & ſeſsione capitonibus amarè diſplicet. *Menſura ornatur & lupato fræno.* Ita Vincentius Chartarius obumbrat de *Imaginibus Deor.* fol. 307. in *Fortuna.* Pulcherrima ſanè principatus imago. Ni compeſcatur auctoritas fræno legis, extra menſuram protrahetur excellentia maieſtatis: quæ quidem à iuſtitia expelletur vel in throno, ni Principes comitetur in præceptis moderatio. Super rotam locatur Rhamnuſia. Fortunæ potiùs, quàm iuſtitiæ videtur ſimulachrum effingi. Nullo modo: quia fortuna in rota, ſed ſine lege. Hæc volvitur: Nemeſis vel in rota cum fræno non commovetur. Menſuram & frænum habet: huicque ſortis variabilis aptatur inſigne; quoniam ſolidius hæret idolum felicitatis, ſi in regimine Principum dirigit menſura legis. Super rotam. In rota gubernaculum aſsignat Chartarius. Verùm quodnam, vel quale? Menſura eſt clavus volubilis rotæ. Æquitate volubilitas ſiſtet: ſiquidem rotatur quàm velociter fortuna Principis, amoto ſortis clavo, gubernaculo rationis.

Menſura legis fortuna Principis.

4 Iugo & ulnæ etiam *Statera* adhibetur à Principe Uvamba. Quod ſibi, etiam alijs optat; nec ſubditis, quæ ſibi nocua, deſtinat. Abominabile utique pondus & pondus; atque moderatoribus propudioſè dedecus. Iam in ulna demonſtrata fuerat menſura: modò menſuræ adiungitur ſtatera. Se & ſubditos ponderat accuratè æquali legum regimine: quippequàm fœcundatur Reipublicæ floridiſsimæ ſucceſsibus vulva, cùm omnia, ſuprema & infima exponuntur in pondere & menſura à ratione trutinanda.

Menſura regni hieroglyphicum.

Auream fortunam olim in regiæ penetralibus cultam, pro legato Imperatores ſucceſſoribus relinquebant: quam *Fortunam viſcatam* ſeriò vocitabant. Romam igitur ingrediente, tranſmiſſo Tiberi (quoniam laſſa ſucceſsivo volitatu) pilam traditur perculiſſe, ac in Palatio talaria depoſuiſſe, pennaſque proprias in obſequium civitatis decurtaſſe. Vide Solorzanum *Emblemat.* 7. Aurea fortuna ſtatera eſt Iuſtitiæ. Hac merita ponderantur: & pro qualitate factorum (eſtò divitum, eſtò pauperum, quippe hìc propriè ſimul in unum) iudex rectus & iuſtus æqua lance, integritate iuſtitiæ diſcernit præmia, & decernit ſupplicia. Viſcus fortunæ intemerata lex. Privilegia iuris vulnera, & ſtatera doloſa. Si examen inclinatur ad voluntatis nutum, nutat ſtateræ momentum: & fortuna Principis, quæ detinebatur retibus legis, alas pernix reſumet, aptatiſque talaribus avolabit.

Quid fortuna viſcata?

Solorz.

Viſcus fortunæ Iuſtitia.

5 Politiore documento his omnibus adijcitur *Circinus*; ut ſubditis innoteſcat rectiſsimus principatus. *Dirigit enim & dirigitur: regit & regitur*, epigraphæ ſunt Circini & apud Octavium Stradam *tom. 3. Symbol.* & apud Silveſtr. à Petra-Sancta *lib.* 1. de *Symbol. Heroic.* Vide alias doctè & ingenioſè cogitatas apud Philippum Picinel. in *Mundo Symbolico, lib.* 21. *cap.* 4. Conditio regentium apprimè cognoſcitur in extenſionis auctoraminis voto, & figura circini compeſcitur cordis ambitio. Extra orbitam ſunt imaginaria ſpatia, quæ tantùm à phantaſia ludente concipiuntur, & procul Lesbia regula, cupitè ſine cogitatione cogitando menſurantur. Obſcurè porrò micabunt Principis infulæ, quæ ſplendorem accipiunt à phantaſia ludente: etenim non eſt ſphæra ambitionis intra circulum præſcribentis ambitus legis.

Circinus ſignum Regum.

Nihil extra legem deſideretur.

Lex fulcrum eſt, non ſuo iudicio addictorum (vitium ſæpe auctoritatis ſummæ, vel affectatæ fortuna blandiente) ſed regum rectorum & ſapienter regentium. Circinum imitari congruit: regent igitur reges ſubditos præexcellente auctoritate, ſi illi reguntur & diriguntur à lege. Ad Rempublicam ornandam, expedit Principi eſſe currum & ſimul aurigam. *Currus Iſrael & auriga eius*, elogium fuit Eliæ zelatoris, & exemplar optimi Regis. Currus dirigitur, auriga dirigit. In auriga legum deſignatur auctoritas, in curru verò imperantis ſuprema dignitas: & quod impoſsibile phyſicum, nectitur politicè in Reipublicæ commodum: quia tunc conſultò reget ſubditos dignitas Principis, dùm Princeps dirigitur auctoritate legis. Nullatenus Hiſpania à Mauris ſignaretur vaſtata, ſi Reges prædeceſſoris Uvambæ ſectarentur inſignia. Regimen fuiſſet illuſtre, quo illos perderent, validiſsimæ armatura rationis; non autem quo perirent, flocco leviſsimæ poteſtatis.

4. Reg. 2. 12.

Princeps dirigatur, ut dirigat.

Faciamus (ait Deus) *hominem ad imaginem ::: & præſit.* Sapienter quidem. Imago Deitatis in ratione à pluribus collocatur, uti vidimus in *Expoſit. Liter.* & homo ut præſit cum ratione fingitur; quia in hominum præſidentia neutiquàm homo, ni regat regentem ratio Deitatis imago.

Geneſ. 1. 26.

6 Conſidera Chaldæorum principatum ſub Rege Baltaſare meritò extinctum, cùm ſub Nabucho vergeret perniciter in occaſum. Hic faſtoſus thronum & maieſtatem arripuit, & ab hominibus nimia auctoritas inter alces iurè deiecit. Inimica interdum ſibi arrogantia ſuperbi. Auctoritas ſæpenumerò nocet auctoritati. Sed unde florenti regno tanta calamitas, ut etiam de cœlo exterminaretur poteſtas? A rege. *Quos volebat* (ait Daniel) *exaltabat, & quos volebat humiliabat.* Cer-

Auctoritas nocet auctoritati.

Dan. 5. 19.

vi-

Ubi lex regitur, perperàm regitur.

vicoſus haud decernebat, quod decreverat ratio, ſed quo impellebatur ab improbo ſenſu: qui quidem ſenſus nec regi commodè valebat à rege; iudicante, ſenſui congruum rationem dirigere. Quid mirum, everti floridiſſimum regnum, cuius habenæ regis furioſi temperabantur ad lubitum?

Ex abrupto proruebat petulanti geſtu in temeraria, illicita deſiderans fronte auctoramento perfricta. Nemo audebat dicere: Cur ita facis? Et meritò Prophetæ dolet, quòd decretum ſolidum legis apud Principem ſit ludibrium poteſtatis. Exaltatio meritorum interpellatur à ſubditis, cùm humiliatio ſubditorum extorquatur à flagitijs. Sic ratio monet, verumenim verò ſtabilitur à Nabucho, quod libet. Præſaga mali futuri corona in imperio ampliſsimo rutilabat; igitur non quod lex Princeps exequitur, ſed quod furioſè volebat.

Decreta legis apud Principes ſunt ludibria poteſtatis

Ab hominibus eijcitur, & inter irrationalia Nabuchodonoſor iacet. Non iniuria inter bruta animalia cenſetur, qui regens à poteſtate, non à ratione dirigitur. Diſtortè inter homines numerandus eſt homo, cui deeſt regenti ratio, Deitatis imago. Homo rationalis eſt. Homo illex irrationalis. Recedat igitur ab hominibus promptè, quiſquis floret inter homines rationalis ſine lege. Abſint gerræ Principis capitonis cervicoſi, & multoties ſtudio repumicati, in cuius præſidentia præſcriptum legis pro lubito tranſit in arbitrium poteſtatis.

In cuius arbitriū tranſit rationis imperiū.

Anton. Brix.

Amor cur filius Conſilij?

7 Amor ab Antonio Brixiano 1. p. verb. *Amor*, dicitur *Filius Conſilij*, & hoc titulo à Veteribus colebatur in Fortunæ tēplo. Haud ita colitur à ſuperbo Nabucho. Non colitur Amor uti filius Conſilij, ſed econtrà conſilium uti filius amoris. Liquet. Amor ut filius, à conſilio dirigitur, ne cæſpitet infans: conſilium autem ſi filius amoris, curvatur ut ſerviat. Haud rectum erit conſilium regiminis firmitati, dum illud pandatur, ut deſerviat amori. Conſilium ſanum in præſide eſt merita diſtribuere unicuique: bona bonis, mala malis. Exaltare peſsimos proterendos, eſt exponere conſilium filium amoris. Humiliare optimos, conſilij amorem conſtituere parentem: & non conſilium dirigens affectum cordis, ſed amorem Rex colit proterentem ulnam legis, iugum regiminis, trutinam examinis rationis, atque circinum mentis; cùm nullo modo exaltaret, & humiliaret quos lex præſcripſerat, ſed quos pro libito contentioſè volebat.

Ubi iacet conſiliū, etiam imperiū.

Conſilium Amoris undique infirmum, & ſæpeſæpius (uti cæcum) ſummè nocuum: igitur libirè regit & dirigit, qui tanquàm affectus conſilio parere debet. Subdolè conſulit amor, cùm nec ſibi conſulat: peiùs conſulitur; igitur cæcè videt, & cæcus minimè cedet. Impulſum à ſeipſo ruet præceps conſilium amoris, dum allicitur Princeps fomite abſolutæ poteſtatis. Minuitur imperium ſine ſtatera, labitur ſine menſura, perit ſine circino, evaneſcit ſine iugo: clamabitque ſerò cæcitas Principis: *Cecidit corona capitis.*

Malè conſulit amor, peius cōſulitur.

Thren. 5. 16.

Decachordum dicatum Apollini, & Magnæ Matri.

Vinc. Chart.

8 Cauſa excutienda. Apollini & Magnæ Matri Veteres conſecrarunt decachordum (Nos dicimus *Harpa*) inſtrumentum muſicum. Vide Vincentium Chartarium ubi ſupr. fol. 40. in *Apoll.* & Demſter. in Roſin. de *Antiquit. Rom. lib.* 2. *Paralip.* ad cap. 4. In Sacris verò Literis ſtatus ordinatæ Reipublicæ non decachordo aſsimilatur, ſed citharæ, iuxta illud Ioannis: Et *vocem quam audivi, ſicut citharœdorum citharizantium in citharis ſuis.* Quod ſæpe inculcat, ut *cap.* 5. v. 8. *cap.* 15. v. 2. & *cap.* 18. v. 22. Etiam tanquam inſigne regis & regni proponitur à Solorzano *Embl.* 71. Sed regimini cur aptior ſimilitudo citharæ, quam forma dulcis grati decachordi? An à manus directione, ſeu potiùs manuum, in quarum induſtria micat ariſtocraticum deſpectum imperium? Aptè. Ferè digitis omnibus percutiuntur chordæ: & ſubditis placere non poteſt à tot principibus percuti: ſiquidem dum chordæ aptantur arte, adminus eſtò dextrè carpuntur ungue. Favet vox *Fidicula*: igitur & ſignificat inſtrumentum muſicum, quo auris gratè delectatur; & tormentum, quo reiectis in tergum manibus præceps homo fune demittitur. Hiſpan. *Harpa, y trato de cuerda.* Vox mirifica, quia propria: ſæpe ubi plurimi principiantur, ſubditi extenti fidicula diſcerpuntur.

Apoc. 14. 2.

Cur peſsimū imperium per decachordum?

Quid ſi fidicula?

Exulet fidicula, licet *doctæ* ſint *manus*; uti canunt Ovidius *lib.* 2. *Amor. Eleg.* 4. & M. Valerius Martialis *lib.* 3. *Epigram.* 82. Exulet: igitur quamquàm digiti dirigantur, ut regant; ſpecie delectabilis ſonoræ muſicæ, citò rumpuntur populares chordæ. Exulet fidicula in qua pro temporis ſiccitate, vel humiditate, fides extenduntur & remittuntur. A lege, non à tempore debet eſſe decretum: ſiquidem non concors regiminis decachordum; ubi muſica aſſona contemplationi populorum & principum.

Ovid. Mart.

Ubi expectatur commodum obviat tormentum.

At ſi non fidicula ſimulachrum imperij prudentis, cur erit cithara, quæ conſtat etiam ex chordis? Intendite. Cithara conſtat tenuibus filis calybis docilis induſtria diductis, atque ad concentum ſubtiliter concinnatis. Fidicula verò nervis, ſeu inteſtinis animalium extenſis, & arte retortis. Unde citharæ, non fidiculæ confertur regimen ordinatum: quip-

pe-

Cur prudentis reginimis ſymbolum Citbara?

pequàm labile regnum, ubi voluto fuſo commodi voluptate regentium; torta & retorta clamant inteſtina populorum. Fidicula conſonat arte vellicantibus unguibus. Cithara calami percuſſa reſonat ictibus. In calamo innoteſcit ſcientiæ & prudentiæ principatus. In unguibus tyrannidis auctoratus impulſus. Quapropter de Nabuco dicitur: *Ungues eius quaſi avium*: Mariana *Rapacium*: quos diſſolvendos promittit Dominus per Zachariam *cap.* 11. v. 16. & ut regimen floreat, citharæ aſsimilatur & non fidiculæ; quia diſſolutum imperium auctoratæ poteſtatis, & rationi conſonum moderatione legis.

Daniel. 4. 30. Mar.

Succinit propoſito ingenioſè Villava *Symbol. Spirit.* ubi epigraphe fidiculæ figitur: *Non percuſſæ ſilent.* Sonant, & reſonant ictibus unguis, quoniam percuſſæ oppreſsione tyrannidis: & fidicula Apollinis ornatur ſtatua, dum cœlo infertur dulciſona cithara; quia plus calamo prudentiæ tribuitur, quàm abſolutæ dominationi conceditur. Vide *Tautolog.* 6. *Didaſc.* 6. *num.* 12. & 14.

Villav.

Plus in dominatione conceditur prudentiæ quam dominationi.

9 Ut homines ſciant, quoniam homines ſunt, & Domini principatum; de illo dicit Pſalmiſta: *Sedet ſuper Cherubim, moveatur terra.* Cur Domini thronus non ſuper Poteſtates, Dominationes, aut Seraphim, ſed ſuper Cherubim? Cherubim emblema ſapientiæ. Seraphim hieroglyphicum amoris: alij chori iuxta nomen gnomon dominationis & ſymbolum poteſtatis: & quamquàm Dominus pro libito & ad nutum (quia extra leges, cùm lex ſit) omnia moderari poſsit; ut inſtruat hominem, ſedet tantummodò ſuper Cherubim: igitur cœleſte regimen haud agnoſcitur vel in terrena abſoluta potentia, ſed ſapientia prudentiſsima in Cherubim cullocata: quoniam nec vehementia amoris, nec vi ſuperioris poteſtatis, ſed regit efficaci moderatione rationis.

Pſalm. 98. 1.

Exprimitur in Dei regimine non modus poteſtatis, ſed rationis.

Nota, *Moveatur terra.* Hyperbaton inſigne eſt, & ad antiphraſim deducendum, ut commodiùs, & clariùs illuſtretur teſtimonium. *Dominus regnavit* (ironicè quaſi dicat David) *iraſcantur populi. Qui ſedet ſuper Cherubim* (per ſarcaſmum) *moveatur terra.* Facilis exitus pro legum tranſgreſſoribus, toxico alitis: qui quidem legum ſtabilitate, bona ſuperiorum intentione iraſcuntur, moventur; verùm legibus muniuntur; ne commoveantur. Dominus regnat ſedens ſuper Cherubim in gloria. Moveatur ergo terra, & iraſcantur populi: ideſt, Gentes. Nos fulcimur rectè à ſedente ſuper Cherubim: Gentes nutant, quia pro lege ſibi vendicant amorem & poteſtatem: igitur nos firmi, eſtò moveatur terra & iraſcantur populi; quia non dominio, ſed tantùm regimur rationis auctoritate. Moveatur contra nos terra. Quid inde? Nulla formido regente ratione. Regnabit qui ſederit ſuper Cherubim, ſecùs verò licèt regnans, non regnabit.

Immutabile regnũ rationis auctoritate.

10 Intentos vellem habere Rectores. *Per me reges regnant* (ait Divina Sapientia) *& legum conditores iuſta decernunt. Per me Principes imperant, & potentes decernunt iuſtiam.* Levi manu pro propoſito Didaſcaliæ, celeri pede, & quaſi obiter materiam attingam percurrendo arenam auctoritatis; veritatem Sole clariorem oſtenſurus *Tautolog.* 6. & in *Expoſit. Liter.* & pluribus Didaſcalijs; & etiam *Tom.* 5. *Tautolog.* 1. ad illud 3. *Reg.* 4. v. 1. *Erat autem Rex Salomon regnans.* Reges regnant, & principes per ſapientiam imperant. Auctoritatem dixeris regnantem, vel principem auctoritate poteſtatis regentem? Plurimi auctoritate ſtolidi, vel quia multoties inaugurantur indigni, fovent affectus ſuper ſedium regalium aſsiſtricem ſapientiam, proſequuntur comiter dulciſsimam ſtultitiam; & nihilominus regnant. Quo pacto per principes ſapientia, vel per ſapientiam imperabunt dominantes, cùm ſæpeſæpius ſtolidi principentur, vel amentes? Si leges regunt regentes, dominatur ſapientia, & ſapientes dominantur: citra leges nullo modo regnantes regunt, quia non reguntur: & ſapientiæ ſubditur, ut regat regens excellentia poteſtatis; quia non regimen ſine regimine dominatricis rationis.

Prov. 8. 15. 16.

Non regimẽ regis abſque rationis regimine.

Regere dicitur ab agere rectè. Nequaquam rectum, quod rationi diſſonum. Dignitate affectus pravi cordis mulcetur, & tunc princeps potens poteſtate deſtruitur: ſiquidem minimè poteſt, quod poſſe non licet. Haud rectè agit, dum lubidini obedit: & nuda auctoritas ratio auctoritatis eſt: etenim duntaxat dominatur, ubi poteſtas traditur regenda ſapientiæ; non verò dum ſapientia creditur proterenda poteſtati.

Princeps non poteſt quod poſſe non licet.

Sequentia nota. Principes dominantur per ſapientiam, qua *potentes decernunt iuſtitiam.* Sapientia, ratio, lexque per ſe & à ſe exhibent poteſtatem, Rex autem poteſtatem non habet præter legem. Quicquid lex, poteſt princeps, quoniam ſubditus poteſtati abſolutiſsimæ legis. Omnia fiant ad amuſsim imperio prævalente rationis, ſiquidem diſtorta admodùm larva ludicræ auctoritatis: & decernunt regnantes Reges iuſtitiam, ſi diſcernunt ſine dolo poteſtatem per ſapientiam. Profectò à ſapientia Regibus regnum, cùm ſine illa non regimen, ſed delirium.

Ubi ſup.

Prævalet legis auctoritas, ſi diſcernitur in poteſtate poteſtas.

11 Tot incommoda rerum publicarum manant ab obliquo dominorum iudicio. Ideo Tragicus in *Thyeſte, Act.* 2. 312.

Ut

Senec.

Ut nemo doceat fraudis, & ſceleris vias,
Regnum docebit.

Turpitudo criminis induitur ſpecie virtutis, & tyrannis prætextu pietatis. Proh nefas! Audi Senecam ibid. v. 214.

Ubi non lex, inſtabile regnum.

Idem.

——————— *Ubi non eſt pudor,*
Nec cura iuris, ſanctitas, pietas, fides,
Inſtabile regnum.

Extra ſe rapti principes phantaſia læsà lubita cogitant; unde David: *Cogitaverunt, & locuti ſunt nequitiam.* Perperam dignitatibus inſolentes cœleſtem iuſtitiam diſcernent per directricem ſapientiam; cùm auctoritas nequaquàm fulciatur potentia legis, ſed lex inconcuſſa locetur in violentia auctoritatis.

Pſalm. 72. 8.

Grandis auctoritatis es, & benè regis regnum Iſrael, dixit ironicè procax Regi uxor Iezabel, negata vinea Naboth. Expetitur vinea pauperis, ut creſcant olera regis. *Errat enim* (ait Seneca *lib.* 1. de *Clement. cap.* 19.) *ſi quis exiſtimat, tutum eſſe ſibi regem, ubi nihil à rege tutum eſt.* Fremens & trendens princeps decidit in lectum, quem in auctoritate lethaliter vulneratum, uxor pupugit liberiore ſcommate. *Grandis* (inquit) *auctoritatis es.* Sanè grandis, ſiquidem legi ſubditur ambitioſa ſitis. *Benè regis.* Regit benè; etenim non poteſt quod minimè licet. At uxor ocyor & cœli flammis, & tigride fœta, percita rabie, ore canino, fumante naſo vivi leonis adinſtar, ſcelere inaudito, ſed innato, æſtu furoris, firmidine ſceleris aſtruxit illicò auctoritatem principis. Quid proficit tantùm nefas? Prodeſt, ut prævaleat auctoritas? Haudquaquàm valet, ſed obeſt. Auctoratur qui benè regit: & regit benè, qui nec audit poſſe facere, quod non poteſt rectè fieri. Rex titubat in cupiditate compedibus legis, quamvis furore accenſus fomite inſulſæ inurbanitatis. Nihil reginæ obſtat, quia impietas impudenter ſtimulat. Diſcrimen patet utriuſque. Rex poteſtatem collocat in poteſtate rationis: Regina verò rationem in potentia auctoritatis: & flocci aſſerit furibunda æſtimari principatum; ubi non proteruntur ad libitum præſcripta legum. Quàm aptè de Iezabele poſſumus dicere cavillationes ſerioiocoſas, quas in *Facetijs* in inſolentiam Fortunæ vibrat Antonius Arena. Sic itaque ſuo more ludit.

3. Reg. 21. 7.

Senec.

Impij Principes quod poſſunt facere, iudicant poſſe.

Anton. Aren. *Decreta fortunæ.*

O maledita dies! O mala fœmina porca!
Ad placitum ſemper perficis omne tuum.
Sic volo, ſic iubeo, ſit pro ratione voluntas,
Sic dicis, quando la tua teſta fogat.

Ubi auctoritas valet, nihil impoſsibile cupienti. Sed reſpicite fines, diſcite iuſtitiam, & non temnere leges.

12 Adamus formatur in præſidem cunctorum, & tulit eum Dominus in paradiſum: ibi quod primum notum ſit principi inter delicias, eſt: *De ligno ſcientiæ boni & mali ne comedas.* Præſes conſtituitur, & interdicitur arbor ſcientiæ. Næ. Prudenter tamen. In regimine & poteſtas fulget dignitatis, & eminentia auctoritatis legis alumnæ rationis: unde interdicitur Principi eſca ſpectabilis arboris ſcientiæ; quia experietur lamentabiliter malum auctoritatis, ſi proterit bonum rationabile legis. Scientia bona eſt: & præſidi ibi interdicitur ſcientia; quoniam non bona, niſi qua cognoſcitur poſſe fieri, quod licitè fieri poſſe: non verò qua ultra legem Princeps pro libito extendit auctoritatem.

Geneſ. 2. 17.

Malum eſt bonũ auctoritatis, ſine moderamine legis.

Ulteriùs. Præſidi Protoplaſto in exordio regiminis denunciatur præceptum rationi conſonum. An ut obediat, qui iubet? Optimè. Non rectè reget, quiſquis neſcit obedire. Legum præſes oneri cedat, ne ſubditi cedant oneri. Lex nota fiat habenti poteſtatem, ut in munere non cogitet poteſtatem extra legem. Ratio dominetur Principi, ut obediant ſubditi rationis dominationi: igitur excutit validè iugum impoſitum ſervitutis præſes dominans ſine iugo legis. Unde præceptum inaugurato in præſidem ſaxò notum ſit Adamo; quippequàm ratio, non Princeps, neque auctoritas debet dominari pro libito.

Superior oneri legum ſubditur, ne ſubditi cedant oneri.

DIDASCALIA IV.

Nihil cavendum, niſi cùm ſubeſt ratio.

1 Ratio ergo ut imperet illi parti animæ, quæ obedire debet, conſideranda (inquit Cicero *lib.* 2. *Tuſc. Quæſt.*) velut ſervo dominus, velut Imperator militi, velut parens filio; & meritò. *Sola ratio* (aſtruit Cordub. Stoicus *epiſt.* 77.) *immutabilis & iudicij tenax: non enim ſervit, ſed imperat ſenſibus.* Domina ſenſuum & cupiditatum conſtituitur, ut dominetur. Deſtinantur appetitus à natura ut ſerviant. Aliter pervertetur ordo ſuperioris & inferioris, ac regimen ſpectabile rationis dominatricis: ſiquidem conſtituuntur ut humilientur, & duntaxàt famulando libertate fruuntur. Reges Ægyptiorum dicebantur *Pharaónes* (ut notat Cornel. Alapid. in *Exod. cap.* 1. v. 11.) ideſt, *Expediti, Liberi.* Libertas expedit proculdubio regi. Ergo perperam Regina ratio erit regiminis particeps, muneris peculiaris libertatis expers. Ferè ſemper oriuntur defectus Soliſque labores ex radijs viſis coràm micantis ſideris. Dum ſtella eminet, fulgoris periculum imminet: igitur tunc nequaquàm micat, ſed

Cicer. *Ratio nõ ſervit.* Senec.

Cur Reges Ægypti dicebantur Pharaones?

Ratione ſuperiorem ſubeſſe dedecet.

di-